

De Immunitate Civium Civitatum Neo-Planta et Zombor, etiam in Trajectibus Petro-Varadiensi, Daliensi et Eszekiensi observanda.

Articulus 39.

Erga humillimam Liberarum ac Regiarum Civitatum Neo-Planta et Zombor, quoad Excessus per Inspectores Nauli in Trajectibus Petro-Varadiensi, Daliensi et Eszekiensi, cum desumptione Taxae in Civibus memoratarum Civitatum contra Privilegialem eorundem Immunitatem practicatos, per Status et Ordines demisse repraesentatam Supplicationem, aequum esse clementer agnoscit Sacratissima Sua Caesarea et Regio-Apostolica Majestas, ut Cives praefatarum Civitatum, sufficientibus Magistratum suorum Passualibus provisi, in praedecclaratis quoque Trajectibus ad Nauli solutionem non adigantur.

LEOPOLDI II. IMPER. & REGIS DECRETUM I. ANNI 17⁹⁰/₉₁.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

De Independentia Regni Hungariae, Partiumque eidem annexarum.

Articulus 10.

Erga demissam Statuum et Ordinum Regni Propositionem, Sua quoque Majestas Sacratissima benigne agnoscere dignata est, quod licet Successio Sexus foeminei Augustae Domus Austriacae per Articulos 1. et 2. An. 1723. in Regno Hungariae, Partibusque eidem adnexis stabilita, eundem, quem in reliquis Regnis et Ditionibus haereditariis, in et extra Germaniam sitis, juxta stabilitum Successionis Ordinem inseparabiliter possidendis, Principem concernat, Hungaria nihilominus cum Partibus adnexis, sit Regnum liberum et relate ad totam legalem Regiminis formam (huc intellectis quibusvis Dicasteriis suis) independens, id est nulli alteri Regno aut populo obnoxium, sed propriam habens Consistentiam et Constitutionem, proinde a legitime Coronato haereditario Rege Suo, adeoque etiam a Sua Majestate Sacratissima, Successoribusque ejus Hungariae Regibus, propriis Legibus et Consuetudinibus, non vero ad normam aliarum Provinciarum dictantibus id Articulis 3. An. 1715. item Art. 8. et 11. An. 1741. regendum et gubernandum.

De Metis Regni non abalienandis et Differentiis ratione earum exortis componendis et avulsis restituendis.

Articulus 11.

Sacratissima Sua Majestas erga Propositionem SS. et OO. ad Partes Regii Sui